


SE SUSCRIBE EN TOLEDO, LITERERIA DE FANDO.

SE PUBLICA TODOS LOS SÁBADOS.

Este Boletín está dedicado á la circulación de las comunicaciones oficiales del Arzobispado y demas que convenga al interés del Clero.



Los señores eclesiásticos que no le reciban á tiempo, harán la reclamacion dentro del término de 20 dias, pasados los cuales no será atendida.

# BOLETIN ECLESIASTICO

DEL

## ARZOBISPADO DE TOLEDO.

### INFORME RAZONADO

ESCRITO POR EL SECRETARIO DE LA SAGRADA CONGREGACION PARA LA CORRECCION DEL MISAL ROMANO, CON LAS RESOLUCIONES Y DECRETOS EXPEDIDOS.

(Continuacion.)

#### DUBIUM VIII.

In omnibus antiquis editionibus Missalis Romani, non exclusis illis Clementis VIII et Urbani VIII immediate ante missam Purificationis Beatæ Mariæ Virginis ita legitur: *Finita processione... candelæ tenentur in manibus accensæ dum legitur evangelium, et iterum ad elevationem sacramenti usque ad communionem.* Huic rubricæ in recentibus editionibus adjuncta fuerunt hæc alia verba ad litteram desumpta ex cæremoniali episcoporum lib. 2, cap. 16, n. 19: *Si vero missa fuerit de Dominica, candelæ non accenduntur.* Inficiari nequit additamentum istud in se spectatum eam utilitatem præferre, ut rubricæ uberius declarandæ optime inserviat, ipsaque verba, quibus conceptum fuit quatenus derivata ex cæremoniali episcoporum, vim legis habere. Nihilominus quum eadem additio, nova sit, et privato tantum arbitrio facta; quæritur.

Utrum eadem conservari, an potius supprimi debeat?

#### DUBIUM IX.

Duo festa septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis, quorum alterum affixum est feriæ sextæ post dominicam Passionis; alterum vero dominicæ III Septembris reguntur quoad modum translationis non à generalibus brevii et Missalis

Romani rubricis, sed à legibus omnino propriis, quæ inter prædictas rubricas minime continentur.

Siquidem de primo illo festo cautum est, ut quando celebrari nequit feria IV pos dominicam Passionis, vel in sequenti sabbato, illo anno omittatur nec transferatur ad tempus paschale.

Ita definiuit Sacra Rituum Congregatio in Corduben. die 3 Septembris 1672 ad 3 et 4 (n. 2594).

De secundo autem festo duo extant decreta Urbis et Orbis dierum 18 Septembris 1814 et 19 Augusti 1817 (n. 4513 et 4541) quibus regulæ illud transferendi de una in aliam dominicam fuisse declarantur.

Jam vero quum ad sacerdotum instructionem peropportunum videatur ut de modo eadem festa transferendi aliquid adnotetur in novo missali quæritur.

An ante missam utriusque festi sit apponenda peculiaris rubrica, qua ordo translationis declararetur ad formam prædictorum decretorum?

#### DUBIUM X.

Quod in præcedenti dubio notandum fuit, quum locum quoque habeat relate ad festum Pre-tiosissimi Sanguinis dominica 1 Julii juxta decretum Urbis et Orbis datum Cajetæ die 10 Augusti 1849 (n. 5143): quæritur.

An ante missam hujus festi apponi debeat peculiaris rubrica ex verbis prædicti decreti desumenda?

#### DUBIUM XI.

Postquam Sacra Rituum Congregatio in Re-